



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 8. Dialecti Græcorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

NUM. 8. *Dialecti Grecorum.*

COMMVNITER quatuor appellantur peculiares Dialecti à duobus filiis Hellenis *Æolo*, & *Doro*, eiusdem nepotis filio Xuthi *Io-*  
*ne*, & Atheniensibus qui se *αὐτοχθόνους* dicebant. Sed iij tandem  
cum Ionibus coaluerunt, vnde licet fuerit in Græciâ quadruplex  
Dialectus, fuit tamen genus duntaxat triplex; *Æolicum*, *Dori-*  
*cum*, *Ionicum*.

Obseruat autem Strabo sub initium lib. 8. ex quatuor Dialectis  
*Atticam* duntaxat, & *Doriam* primigenias esse, cæteras permixtas;  
quoniam *Attica*, & *Doris* cùm essent montuosæ, steriles, &  
asperæ, non ita facilè exterorum excursionibus patuere. Porrò ad  
tempora usque Strabonis omnes extra Isthmum in Græciâ degen-  
tes (exceptis Atheniensibus, Megarenibus, & Dorienibus Par-  
nassi accolis) *Æoles* nuncupati sunt: *Iones* verò ex Atticâ profecti  
Peloponnesum incoluerunt, sed hinc facilè depulsi sunt. Eodem  
quoque perusare Dores, qui Heraclidarum beneficio diutiùs  
ibi consederunt: vnde factum ut in Peloponneso duplex tantum  
genus viguerit, *Doricum*, & *Æolicum*. Arcades autem & Elei  
propriè locuti sunt *Æolicè*: illi, quia se texere montium asperita-  
te; hi quia Ioui Olympio sacri intacti permaneserent. De *Æolide*,  
*Ioniâ*, & *Doride Asiaticis* sequenti Tomo agemus.

Quomodo autem quatuor illæ Dialecti iterum diuisæ sint dixi-  
mus in Europâ antiquâ Tomo superiori pag. 154.

§. 2. *De Achaia, seu Hellade in genere.*

NOMEN *Hellas*, deducitur ab Hellene filio Deucalionis, vt om-  
nes arbitrantur, quam Homerus *χαλικηνή* vocat. Non inficior  
tamen Eustathium hoc nomen *Hellas* tribuere Thessalicæ ciuitati,  
quoniam ut suprà innuimus Græciæ nomen Thessalis primò cō-  
cessum est. *Achaia* autem vocata est ab Achæo filio *Æoli* fratre *Io-*  
*nis*, qui cædis reus fugit in Thessaliā, ibique rerum potitus Thef-  
salos de suo nomine Achæos nominavit. Quod autem eadem re-  
gio sit *Achaia* & *Hellas* Epithetum utriusque concessum arguit  
*Αχαϊα καλλιγράφη*.

QVANTITAS. Maxima Helladis *Latitudo* apud Ptolemæum est